

DISSERTATIO HISTORICA
DE
LUD'S
PRISCORUM SCANDIANORUM
PALÆSTRICIS.

Cujus Partem Priorem
VENIA AMPL. ORD. PHILOS. IN IMP. ACAD. ABOËNS.
publico examini modeſte offerunt

REINHOLDUS VON BECKER,
Philosophiae Magister,

ET

SALOMON SAVENIUS,
Stipendiarius Publicus,
Wiburgensis.

In Auditorio Philosoph. die XXIII. Junii MDCCCVIII.

b. a. m. f.

ABOË, typis FRENCKELLIANIS.

MAXIME REVERENDO atque CELEBERRIMO
D: NO MAG. PETRO JOH.
ALO PÆO,

Dioeceseos Borgoënsis ARCHIPRÆPOSITO,
Consistorii ibidem ASSESSORI primario,



FAUTORI apprime propenso;

Ob exhibitam sibi summam & singularem in litterarum
studiis regendis benevolentiam, in rebus suis adjuvandis gratiam
& favorem, tenuem huncce & gracilem, sed OPTIMI antehac
MODERATORIS præceptis & monitis debitum fructum, pio,
quo gratos decet alumnos, & venerabundo pectoris affectu,

sacrum voluerunt

MAXIME REVERENDI atque CELEBERRIMI
NOMINIS.

CULTORES HUMILLIMI
REINH. VON BECKER,
&
SALOM. SAVENIUS.



Insignioribus nationum rebus gestis, fatis regnorum inopinatis & gravioribus, annorum, nominum illuc pertinentium justa & convenienti enumeratione, non omnem contineri materiem historiae, verum minores quoque & remotiores in rerum serie articulos, causasque abstrusiores, haud infructuosas illas maximorum saepe eventorum matres, historicō etiam indaganda esse diligenterque tractanda, omnes inter facillime convenient pragmatics rerum narratores. Quos igitur penitiores rerum fontes rite cognoscere cupienti, homines non in seriis modo, quas plerumque necessitate aliqua permoti gerunt, rebus peragendis, sed in his quoque, animi causa institutis, in quibus genio suo magis indulgent, huncque produant apertius, scrutandi sunt atque perspiciendi. — Plurimum enim delectationis habet diligentia posita in observando, quem ad modum genius gentium primo quidem horridus & feritatem redolens, sensim tamen a cultura ipsarum surgente mitior factus politusque, ac mollitie tandem pullulan.

A

te

te evanescens, fata earum moderetur, diversas ætates diversis, in quibus eandem tamen agnoscas licet spiritum, vestigiis consignans (*a*). Quæ quidem observatio, rei morali fructuosisima, aridiori simul sermonis Historici generi flores adspexit longe saviosimos. Cumque duplex sit Historia; *Gentilis* altera, altera *Civilis* (*b*), magni est usus ista, de qua loquimur, gentii investigatio in primis in Gentili illa; quippe in qua genius iste adhuc nudior quasi atque purior & eminentior spectetur. — Temporum vero locorum, personarum diligentior scrupulosiorque enumeratio, utilis illa quidem, magis necessaria est Civili contexendæ historiæ, homines multiplicibus legum, institutionum, rituum civilium vinculis obligatos deltribenti, quam huic Gentili istorum vinculorum maximam partem experti, aliaque gaudenti indagine. Nimirum, qui animus, quæ mens, quæ cogitandi & agendi ratio, qui mores, quæ cultura in singulis aut plurimis factem siveque dignissimis gentis cūjusdam historiis, quamvis vel facta nonnunquam prodentibus, apparent, gentis ejus fasile jute concludit.

Sequitur vero hinc, ut gentium historiam longius atque altius, usque scilicet inter fabulas istas, a quibus omnium populorum fasti incipiunt, repetere & persequi liceat. — Verum quidem est, minores sive specialiores veritates in hisce fabulis
per.

a, b) Videantur Libri Celebti ARNDT, *Geist der Zeit*, in primis p. 289 sqq. & *Einleitung zu historischen Karakterschilderungen, excus,* Berolini 1810.

perire, at possumus tamen generales quisdam & communes ex iis colligere. Nequeunt verbi causa, Traditiones Islandicæ (vulgo *Ísländska l. Nordiska sagorna* dictæ) civilis historiæ, testibus & documentis munitæ, loco haberi, at præbent tamen nobis materiem gentilis historiæ scribendæ utilem. Sin minus indubitate sint, quodvis certamen singulare, quæque piratica expeditio, quodlibet denique factum heroicum in illis memoratum, si minus semper probent, ubi & quando factum quodvis evenerit, probant certe ejusmodi facinora populo & amata fuisse & usitata. Mores vero, cultura, exercitia, in hisce traditionibus depicta, cum & in er se & genio antiquo convenient, cum primum quasi itamen historiæ fabulis postea interpolatæ & refertæ constituant, cum testibus fide dignis, quales ARE FRODE & STURLONDES, confirmantur, tanto minus fide privantor sua, quanto minus est credibile, aut homines exterrum litterarum rudes, quales harum traditionum auctores fere omnes fuisse constat, res domesticas exoticis nec suo saltem ævo in patria usitatis infuscasse moribus, — quos tamen nulla, ut videtur, alia ex causa quam vulgarem ob usum obiter plerumque tantum memorant; — aut peregrinos, in illa non modo linguae, sed & rerum Gothicarum ignorantia, vel denique sequioris ævi scriptores dictas traditiones fingere potuisse genio prisco mire adeo congruentes.

De genio quidem Veterum Scandianorum minime convenit dubitare: patet namque, fortitudinem, summam, vel solam potius, virtutem ab ipsis fuisse censam. Nemo fere ignorat

Ietam illam celsamque & heroicam animi indolem, que in omnibus eorum cogitatis factisque eluet, & ad quam omnia apud ipsos adspiraverunt, spectaverunt: notum est, eos optimam rectatem in horridissimo armorum strepitu transegisse, animi causa prælia cruenta, acerrima edidisse (c), vitam ignavam morte pejus timuisse (d), heroicam cruentamque tantummodo mortem honestam & nobilem arbitratos, quam oppetebant, nunc in acerrimis pugnis, nunc in flammis rogorum voracibus, nunc ex rupibus præruptis (*Ättslupor*), nunc in foveis serpentum, ubi cantus suos cecinisse narrantur triumphales: Sin veio tale quid ipsis non obtigisset, morbo mortali implitos corpus suum mucrone hastæ nobati justissæ, quo melius accepti beatorum intrarent aulam (*Wolhall* e), ubi luctationem cum heroibus defunctis inter jucundissima vitæ futuræ oble-

da-

a) Singulare plane exemplum hujus rei est præmium Bråvallense vid. *Sagabrottet om neckrum fornkongum i Svia och Dana veldi oc om Bråvalla flag.*

b) Sic plenique mori, quam pace emta sat re etiam inexperta ab adversario, viribus quamvis superioci, digredi se male dixerunt.

c) Notissima fuit: Othinum, quo melius populo militarem syaderet ardorem, mortisque contemptum ipsi inculasse, omnes ense vulneratos occisosque sedem intrasures beatorum, eumque ipsum, & multos postea alios, serpentis figura moribundis sibi inscripta mortuos; monitis preterea precipitum in Hist. Gothici, item serpentum fovea in vita Ragnari & Altiorum, in *Ragnar mal*, (§ in fabula *Vilkin*.) memorata

assentia posuerunt (*f*). Hic animi mentisque habitus & indoles cœli solique plague haud parum debebatur. Hiemis asperitas, auraque firmans & prægelida mirificam ipsis ingeneravit strenuitatem, constantiam, duritiam; veris amoenitas, æstatis tempesties animos ipsorum purissimis exhilarabant deliciis atque a vehementioribus integros præstatabant perturbationibus. Ita non Philosophorum imbuti præceptis, sed a natura ipsamet educati, & in adversis lætam, & in secundis gravem, semper virilem masculanque servabant, mentem.

Ingenii vero sit felicioris, genium antiqui ævi pingere, cui nec detinunt probi & integri judicij laudatores (*g*). Non nulli eadem gloriacione Scandanorum Veterum res gestas, laudibus extulerunt, qua annis jam confectus senex, otii amans, tenax antiqui, laudatorque temporis acti, virilis suæ ætatis strenua facta enarrat: tenellis æquius gratiusque erit vi-
ribus nostris, simili, quo lusus pueritiae reminiscimur præter-
lapsæ

f) Quare nonnulli heroum moribundi ad Othinum se iustatum festinatores dicentes, appropinquare significabant mortem.

g) Videantur inter recentiores; Celi E. M. ARNDT, *Einleitung zu historischen Karakter-schilderungen*, p. 134 sqq. & *Geist der Zeit*, atque liber, cuiusjam aliquor sectiones, Holmiae excusis, apposuerunt, a societate *Götl. Förbund* dicta editus, *Idunaque inscriptus*. — Fuerunt vero inter Archæologos Scandinavizæ, qui in laudibus patræ suæ celebrandis, incerta procertis habendo, vere etiam Præfis Scandanis detrahendæ laudis ansam adversariis suis præbueret, Cfr. Diss. Prof. BRING de fide *Historica monumentorum Island*, exc. 1763.

lapiæ, pectoris affectu, laudatorum Scandianorum *Ludos Palestricos* polissimum simplici & per brevi delineare narratione (h). In quibus adunibrandis, hoc mitiorem Lectoris Benevoli speramus censuram, quo altius sacerdorum tenebris, ubi veterani quoque antiquitatis scrutatores, materie, præsidiis, fortunis longe affluentiores crebro errarunt, jacent sepulti.

Placuit vero antequam ad ipsam materiam tractandam veniremus, *tum* significare, quantum traditiones Islandenses habeamus utiles fideque dignas, — quo filius Lectori apparet, Candido, quo iure argumentove nixi, earum quoque testimonio narrationis nostræ fidem putaverimus firmandam; — *tum* simul, genium moresque antiqui ævi per ilringendo, ansam ei præbere ex majorum institutis de exercitiis ipsorum judicandi.

Quam-

- (h) Non quidem omnes, quos allaturi sumus, ludi a Græcis ad Palestram referebantur; cum tamen omnes palestricis sint similes, atque, ad corporis exercitationem exhibiti palestricis respondeant, non dubium videtur, quin laxiori significatu Palestrici queant inscribi.

Quamvis igitur rigidior, quam incoluerunt, orbis pars,
 frigore vexata, silvatum vallitas & bellicus ipsorum ardor,
 Priscorum Scandianorum ingenia ad severiora, ardua fortia-
 que facinora peragenda præcipue stimulaverint, neque tamen
 Iudis caruerunt, nec tantam istam bellicæ fortitudinis laudem
 sine exercitiis prægressis consequi potuerunt. Quem ad modum
 enim celebres quondam Græcorum ludi ad militarem ipsorum
 laudem plurimum valebant, sic laudatorum quoque Scandia-
 norum Palæstrica exercitia ad bellicam ipsorum virtutem au-
 gendam & instituta fuisse & multum profecisse inveniuntur.
 In eo utrorumque, ut cunctarum gentium priscarum, studia &
 exercitationes convenerunt, quod ad corporis facultates, simul-
 que ad tensus & phantasiam excolendam maxime esent ido-
 nea, quamvis Græcorum savor aura ingenia ipsorum forma-
 verit feliciora (7), ludique nostratum, utpote ad eum, quem
 Græci, culturae gradum haud prosectorum, non tam artis quam
 virium fuere experimenta, nec ad certos adeo, aut dies, aut
 artis regulas adstricti, sed multo utique simpliciores.

Simplicissimum (8) quidem ludorum Palæstricorum apud
 Scandianos *Cursus* fuisse putamus, eundemque antiquissimum,
 quippe

i) Videbis inter alia MARMONTELLII & Sveci Anonymi dispp. illius in *Reflexions zur la Tragedie*, hujus in *Lärda Tidn.* Holmiae 1750 edit. Num. XI, sqq. in primis vero libri Cel:ii ARNDT cit.

8) Ordine neque alphabetico, summa cum imis cunsundente, nec pe-
 titio ex dignitate, qua mala omnia comparat, ludorum, neque ut

quippe necessarium maxime hominibus venatu reque pecuaria
victitantibus (l), quales priscos Scandianos principio fuisse,
tum analogia vetustissimorum in quaque terra incolarum, tunc
etiam historia antiqua abunde testantur. Fuit autem iplis alia
super nives currendi methodus, de qua mox, alia æstivo tem-
pore. Præterquam enim quod in vénationibus (m) sœpe cur-
rendo exercebantur, instituebant etiam currendi pro pignore
brabœve certamina, idque peditem inter & equitem; in quo
Haraldus Gille, vir Islandicus, pedes equum Gothicum perni-
cem ter vicit. Neque tamen credendum non nisi ter victori
cessisse præmium, objiciente enim Magno, quocum certavit,
illum fraude vicisse, illi ulterius certandum fuit (n). Currebat
vero

Nobiliss. BERCH in *Samlaren*, 7^{de} Delen, St. 102 sq. (p. 41—53)
ad tempestatis anni, quibus quisque institui solitus est, plenam or-
dinandi rationem haud subministrantes, neque denique ad ætatem i-
psorum, tenebris jam obsecram, respectu habito, ludos enumerare
nobis libuit. Quos igitur ne omni destituamus ordine, ita expone-
mus, ut qui natura simplicitateque antiquior videbitur, magis com-
posito, majoremque prodenti culturam apte antecedat.

(l) Vid. Dissert. Cl. ROSBÆCK. Præf. BENZELSTJERNA & AMNELL, de
Πενταδάου s. certaminum Gymnicorum ap. Græcos Origine, cum
adlicatione ad res patrias. Ups. 1748 & 1751, edit.

(m) Vid. *Eigilli & Asmundi hifl.*

(n) Vid: r Hist. Sigurdi *Jorsalafora*, in *Heims kringla Syurlonidls*,
editione SCRÖNING: i, Tom. III, Cap. XXXIV. p. 281. Dicebatur
Veteribus, Spatium *Skeidi*, curriculum per currere, renna i renna skeidi,
taka skeidi, cursores kappur (hodie kampar), meta skeidsende; pignus i

vero Haraldus interulam, tunicam, bracas, pileumque indutus. Determinatum semperque idem nec spatum fuisse, neque brabeum, sed a provocatore proponi solita; victoriae item, quam brabei cupidiores Priscos Boreales fuisse, partim ex allato, partim ex aliis appareat locis. Atque etsi ob Historiarum Vet. Islandicarum penuriam (o) plurium hujusmodi cursuum exempla relata non vidimus, ad eam tamen, qua erant celeritatis laudem ipsos sine exercitiis hujusmodi prevenisse vero non videtur consentaneum (†). Islandis tamen proprium aut frequenter saltem fuisse ludum huncce, Haraldi certe Gilli ævo, ex citato loco primum est judicatu.

Alterum calidioris terræ incolis inusitatum *currendi genus*, quod hieme *xylosoleis* instituitur, vetustissimis illis Scandina- viæ incolis cognitum usurpatumque fuisse, passim monstrat hi- storia ipsorum. In primis qui terras incoluerunt magis Sep-

B ten-

brabeum vad. Pignus in hoc certamine, ut in quibusdam aliis, au- reus fuit annulus.

(o) Confitendum est enim Bibliothecam Auraicam pluribus Vet. Scan- dianorum, ne dicam manuscriptis, verum typographica etiam arte divulgatis historiis traditionibusque adhuc carere e. c. Historiis Gri- mi, Ludikini, Gretteri, Niali &c filiorum, Eigilli Scaldagrimi, Or- vari Oddi cet. ut taceamus JANUM BIRCHERODIUM, qui de Palæstra antiquaria, (*Disquisitionum curiosarum &c.*, centuriam exhibente) in Hafn. 1688, diligenter, ut solius est scripsisse narratur.

(†) Vid. notas nobil. REENHJELM ad Thorsteini Vikingsonis Hist. C. 9. p. 70.

tentrionales nivibus diutius opertas, cursum hunc egregie cal-
lebant, tantique narrantur fecisse, ut initio hiemis sacrificia
in xylosolearum usum impetrandi immolarent (*p.*). Atque
Fennos quidem aut Lappones exteris etiam xylosolearum no-
mine innotuisse ex ADAMO BREMENSI & SAXONE GRAMMATICO
conjiciendum videtur, qui ipsos Scrito-fennos, quasi Fennos li-
gneis currentes soleis nominarunt (*q.*).

Certe etiamnum inter Fennorum Lapponumque vulgarissi-
ma exercitia cursus xylosolearum est, maximam simul in feris
infelandis afferens utilitatem. Præfertim vero ludus xyloso-
learum niente Februaria, die Martis post festum Quinquagesi-
mae proximo, Svecis *Fasflagen*, a verbo *fasta* (jejunare) dicto,
Fennis vero *Laskiainen* a verbo fennico *Laskee* (mäkes) id est
fere, xylosoleis ferri, ritu antiquo ad uberem lini proventum
obtinendum celebratur (*r.*). Ludum hunc per occiduam quo-
que

p.) Vid. *Origines Norvegiae (Fundatio Noregur)* in BIÖRNERS *Nordiske Kämpadater*, ubi *Nore profissionem distulisse*, dicitur, donec nive
tesquis illœpsa, iter *Xylosoleis* fieret optum; & paulo post: *Thorrio Queni pro impetranda nive Xylosoleis proficiscentibus vehendis ido-
nea; haec illorum deliciae.*

q.) Vide JOH. LOCCENII *Antiquitatum Svio Gotth.* p. 123 & sqq. C. III.

r.) Quæ celebritas an residuum sit festi Quenorum in Originibus Nor-
vegiae memorati, disquirant, quibus lubet. — De ludis Fennorum,
vide, quæ elegantissime, ut afolet, disputavit Reverendiss. Doct. E-
pis. & Pro-Cancell. JAC. TENGSTRÖM in *Intrådes tal hällit i Kongl.*

que Scandinaviam celebratum fuisse, tesis est STURLONIDES narrans (s). *Eyfenum fratri virtutes & exercitia sua prædicanti regessisse: Xylosolearum usu multum mihi concedes, & huic quoque olim arti honos fuit.* Olim dixit, utebantur enim Xylosoleis jam multo ante Christianam æram Scardiani, hæc vero æmulatio circa initium undecimi post Christ. nat. Sæculi habita est. — Quis vero tum hujus, tum aliorum, quos expōnere proposuimus, ludorum fuerit inventor, nescimus omnino; nam quæ in Saxone Grammatico obveniunt, verba Starkotheri: *primus ego lignis docui decurrere plantis, commentum certe est,* nec eas saltem, de quibus nos loquimur, respiciunt xylosoleas (t).

B 2

Neque

Vitterhets &c. Academien d. 15 Julii 1795 (Vitt. Hift. och Ant. Acad. Handling. Del. VII, p. 265) Om de gamla Finuars lärar och tidsfördrif; passimque Mythopiam Fennicam GANANDRI.

s) Edit. SCHÖNSINGI Tom. III, *Hift. Sigurdi Jörsalafara* Cap. 24, p. 263 sqq. — Nec brabei, nec metiæ, huic cursui adhibetur, mentionem usquam invenimus.

t) Xylesolearum usum antiquorem apud Fennos, quam apud Gothos Svecosque Scandianos esse, non difficile est creditu; tum quod Fenni antiquiores habeantur Scandinavie incolæ, tum in primis, quod nominum vocumque, ad xylosoleas pertinentium, in Fennorum lingua longe uberior, quam in Svecorum, inveniatur copia. Antiquus quoque est in Fennia offibus levigatis per glacies decurrenti ratio; cuius denominatio *luistaminen* a voce sennica *in* (i. e. os, offis) derivandæ ad posterioris etiam inventionis glacialeum cursum significandum adhibetur.

Neque lubricæ glaciei transcurrentæ, ludorumve in ea faciendorum ignari Laudati Scandiani, lævigatis tibiis (f. osibus) bovinis soleati, & procul dubio, baculo mueronato, ut etiamnum rustici, se protudentes, congelata stagna & vada transibant. Certamina cursus hujusmodi antiquitus instituta fuisse ac celebrata ex loco Sturlonis modo allato disimus. Ibi Eystenus fratri respondit: (*Pecudum*) quoque tibiis soleatus ita glacies decurrebam, ut neminem cognoverim qui mecum contendere sustineret, tu vero iissus rei tantundem, quantum bos callesas. — Ediderunt quoque Vet. Scandiani alios in glacie ludos, quos utpote artifiosiores in partem rejicimus posteriorem;

Cursui e latere ponendus est *saltus*, ei quippe antiquitate, usu & simplicitate finitus. Scandianos enim Antiquissimos, venatu magnam partem vicitantes, ferasque per varia loca tantum non inaccessibilia inlectari solitos, post vero civile assumptum regimen, piraticam summo studio exercentes, — ubi in arcibus navibusque expugnandis, pro ratione eorum bella gerendi, saltus plurimum dedit praesidii, — egredia fuisse saliendi exercitatione peritiaque, nullo perspicitur negotio. — De publicis tamen apud ipsos saliendi certaminibus nusquam nos quidem invenimus relatum, et si credibile fit, loca illa, ad prædia & arces principum, nomine *leikvoll* insignita, ut aliis, ita saltus etiam inserviisse exercitationibus; Certe vicem Palæstræ sustinebant. — Sed de Palæstra Antiquorum commodior nobis erit alias (u) loquendi occasio, ad saltus cer-

ta.

u) Videantur Pagioce ultimæ partis posterioris.

tamina revertimur, quæ in montium hiatibus apt in aliis ejusmodi locis, haud raro cum vitæ discriminè instituebantur; nec enim, ut ait Arngrím Jonæ f., nullo periculo certare volebant. — Sic tres olim celeberrimi piratæ, Vikingus, Niørve & Halsdanus exercitationis ergo hiatum montis, valde & latum & profundum transfiluisse leguntur (*v*): & quidem Vikingus plene armatus; Niørve levissima indutus veste, Halsdanus autem ita, ut Vikingus ipsum in altera hiatus margine reciperebat; & paullo post Vikingi filii Thorsteinus & Thorer eundem hiatum saltu narrantur superasæ, uterque armatus, hic tamen non sine vita periculo.

De Halsdano & sociis ejus Sigmundo Sigurdoque relatum est (*x*), eos septum tabulatum transfilire annos, atque hunc tertiam, istum medianam emenbos septi partem, illum vero totum transfiluisse septum. — Narratur quoque (*y*) Bosem ex mon-

te

v) Thorsteini Vikingson Hjſt. p. 42. — Quod vero XXX ulnas (triangulo alna) latus suisse dicitur montium hiatus, id nisi mendum fuerit scriptoris, litteris aut male digestis aut interpolatis tribuendum, (quod fere crediderim), commentum certe est crassimum: series tamen narrationis ipsam saltus exercitationem ibi institutam in dubium vocari minime permitit.

x) Vid. Hjſt:æ Halsdani Brana-foſtra Cap. 14. (Björner N. K. D.)

y) In Herardi & Boſes Hjſt. — Vide etiam hjſt. Olai Trygg. Autore Oddar Munk p. 37. — De Vidga etiam e Dania oriundo in Fikinenſi traditione narratur cum sine stapedum ope equum insiliusse.

te in navem Heraudi præternavigantis insiluisse, spatiūque illud XLV ulnarum a nonnullis fuisse æstimatum; quod quamvis a veritate abhorreat, — neque enim est nisi conjectura eorum, qui admiranda immodicis exaggravant verbis, — minime tamen dubium videtur, quin Boile in omnibus palæstricis exercitiis facile princeps, non quidem tantum, quantum traditio narrat, at maximum tamen, ipsisque sociis suis admirandum fecerit saltum.

Inter vero cursum saltumque medium quasi locum tenet montium Scanio ludus non ultimæ laudis apud priscos Scandianos (z). Quod non ibit insitias, qui meminerit ipsorum & arcis montibus fundatas, horum murorumque scansione oppugnandas & navalia bella, in naves hostium insiliendo fuisse confienda. Quare nec a regum personis absuit exercitatio hæcce. Rex quidem, Norvegicorum latus imperio montium, — quorum aspectus immotæ istius firmitatis, fortitudinis atque cellitatis ideam in vita ejus omni semper conspicuam, in mente ipsius aluit vividissimam, — Olaus Tryggvii filius in insula Brimangur, montem ascendit præruptum, editissimum Norvegis dictum Smalsarhorn, cuius in vertice scutum defixit superbientem, signum quasi, meritum se esse, qui ejus saluta.

(z) Videantur: *Rimur om Karl och Grymur Svia kongum och om Hialmar Hareks juni fra Bjarmaland in Bjørnernes Nord.* K. Dat. T. I. it. hist. *Ola Tryggv.* ab Oddo Mon; ed. REENHJELM. C. 45 p. 162 & a STURL. T. I. p. 290 ed. SCHÖNINGI.

putaretur dominator (a). — Atque ut ad mores Principum suos componunt reliqui, ita Olai quoque aulici, in quorum numerum nemo, nisi præcipuis corporis aut animi dotibus ornatus admittebatur, inter se certabant, ut in audacissimis hisce exercitiis dilectissimo similes essent Domino. Dixisse te montium incolas vidisse, centauros istos, de quibus glorians narrat Homericus ille Nestor, si hos in insula aliqua montium ascendentes præcipitia, indeque immania devolentes faxa conflexisse; dixisse cum Nestore:

nevoῖται δὲ ἀνθρώποις
τῶν, οἱ νῦν Βεστοὶ εἰσὶ επιχθόνιοι, μαχεότοι.

Meminit historia Olai Tryggv. (b) duorum ex his, qui sponfione deposita, uter altius montem ascenderet ardaum, uterque magnam quidem montis partem ascendebant, alter tamen majorem; temerarii vero, ut erant, descensus periculorum tamdiu incuriosi, donec ulterius progredi nequirent, atque tum alter vix, alter non sine vitæ discrimine reverti poterent.

a, b) locis sub nota x cit. — Capitis fortasse XLV in Oddi M. hist. de Olae Tryggv. obscura memoria Nobilissimo BERCH subiit, qui hujus historiæ paginam 37:am cavit, quasi de montium feansione agentem, quem verba & contextus luculenter monstrant de saltu agere, ex muris in campum facto, quem urgenti necessitatì debitum nemo non videt. In nota q ad Tomi I. Sturl., p. 290, & mappis geographicis editioni sue præfixis, SCHÖNING alitudinem situmque & hodiernum montis *Smaifjörð* nomen nos docet.

tentes, frustra etiam commilitonum efflagitantes opem, poenas dediscent temeritatis, nisi veste leviori assumta, ipsos periculo liberasset in hoc quoque certaminis genere princeps Olaus Tryggvonides.

Qui quidem rex, quanta fuerit agilitate etiam inde quadrantibus colligi potest, quod *in prominente margine*, quo *navis ejus cingebatur iuise* narretur a STURLONIDE l. c., quem tamen locum aliter interpretatus *iuise* videtur Nob. BERCH, dicens (c), *Olaum super remos navis agitatae curvitasse*; quod si verum eset, liceret inde observare, qua vi quantosque agitant remos nautæ Veteres Scandiani.

Horum vero inter exoptatissimas exercitationes *natatio* numeranda est. Qua tantum excelluerint, facili vel leviter in ipsorum historia versatus perspiciet negotio (d). Nec enim

po-

c) l. c. p. 48.

d) Inter alios nando celebres memoria digni sunt: *Olaus Tryggv.*; *Thorsteinus Vikingson*, *Asmundus Kappabana*, qui ensem ex lacu hodie Mälaren dicto, prope Holmiam (tunc Agnafit) ab avo suo demersum urinando expiscatus est (vid. *Asmundi kappa bona hist.*); *Sigurdus Gjorsalasara*, *Sturlauge*, *Toke*, *Hjaimter*, *Agnar*, qui armillam auream 80 annos in maris fundo demersum urinans expiscatus est, de quo videlicis hist. *Rolvonis Krake* Cap. 12. p. 29. & *historia de Bodvaro Bjärke* epitome, in *Björners Nord. Kampadater*; Porro *Sigurdus Slembi-giacu*, (de quo in Hist. *Magni Coeci & Halsoldi Gille* in STURL. H. *Kringla* ed. SCHÖNING, T. III. item *As-*

potuit aliter fieri, quin plurimam in navibus peragentes vitæ partem
(e), ac roboranþia quævis fortiaque exercitia adamantes, natando
urinandoque recreationem corporis, firmitatem animi, effugium
futuronum periculorum sibi parare averent. — Ita idem Olaus
Tryggv. (f) cum aulicis se natando oblectavit; cum Kiartano,
viro Islandico, certabat; quem enim Kiartanus Olae adnatasset,
hunc pede prehensum in fundum traxit, unde post aliquantum
temporis spatium enatarunt; tum profundo rursus petito,
ibique diutius commemorati iterum emerserunt; tertium vero
dewensi diutissime in fundo manserunt, ut Kiartanus quidem e-
mergere optaret, si per Olaum licuisset, cujus a viribus suas
superatas expertus est.

Simili fere modo nandi certamen in *Halfdani Branafo-
stra historia* (g) describitur. Nam Akone finium Anglicorum
custode, Halfdanum Norvegici regis filium ad nandi certamen
provocante, regeque postridie ad ludi spectaculum invitato,
Haraldus cum suis, rex cum aulicis ad lacum conveniunt, in

C

quem

mund, Rolf, Grimmur; videatur hist. *Gothrici & Rolv.* Cap. 26.;
itemque *Gretta* C. 61. alios ut taceamus.

e) Sic de quodam rege Scandiano narratur, cum sub testo sumato —
sumata namque olim testa domiciliorum — nunquam potasse.

f) Hist. *Ejus ab Odde Monacho* ed. Nob. REENHJELM p. 130 sq.
STURL. I. c. T. I. p. 286 sq.

g) Cap. 14.

quem Haraldus veste militari se immittens ad Akonem adnatat, raptumque secum in fundo detinuit diutissime, ut Akenem, nandi quamvis peritissimum, animo viribusque deficiente & exhaustum, aqua trahere domumque ducere sui habent necesse. Halfdanus autem, multis adhuc ludis gyrisque factis, aqua tandem egreditur. — Urinando in primis certasie veteres Scandinaviae natatores etiam ex Sigurdi Gjorsalafara his*f.* est videre (*i*).

Atque nulla quidem allatis jam locis brabe*i* natatoribus propositi facta reperitur mentio; Orvari autem *Olli historia*, citante Nobilissimo BERCH (*i*), de nandi certamine loquitur, in quo brabe*i* loco aurei annuli (vel forte armillae) deponebantur apud brabeutam, qui non Graecorum more vir fuit annis sapientiaque venerabilis; verum — quod non minus videtur ingeniosum, etateque ista heroica nihil habens dehopes*f*, sed notabili indicio singularis, qua fuerunt erga feminas suas, humanitatis, fuit inquam — regia Virgo brabeum, quādū certabant, manu tenens,

De manu tamen adeo grata non omnibus contigit victoribus præmium reportare gloriosum & lætabile; quo, nisi quod forte affectionis, ut dicunt, accederet pretium, victoriæ, quam ejus appetentiores, s̄epe, ut jam monuimus, plane caruerunt. Ludentes vero in maris fundo eos fuisse luctatos, quod ex *Hif. Olai Tryggv.* probare vult Nobil. BERCH (*k*), id nec e*di*

h) *Hif. Sturl.* ed. c. T. III. p. 264 & 284.

i, k) Vid. *Samlaren*, 7^{te} Del. p. 45.

dicta, neque ex ulla alia historia colligere posuimus (l). Pi-
etas autem, bellico furore incensos, in maris etiam fundo cer-
tasce, passim in vitis ipsorum narratur (m).

Ut igitur dubium manet, an *lucta* in maris fundo laudato-
rum Scandianorum ludis sit annumeranda, ita contra certum
est, ipsos eam in terra animi causa studiose exercuisse; eoque
magis, quod *luctatio*, ut fuit in bellis, tunc non tam tormentorū
artisque militaris ope, quam manuum corporisve robo-
re gestis, maximo usui, ita genio ævi atque doctrinis adeo i-
pius religionis sacrata conformisque erat. Quare & pugnas
in luctam siccè mutarunt (n), & non peregrinis solum, qui
zulicis adlitteri averent, virium specimen lucta dandum fuit (o);
verum & qui ad aulam defunctorum decesserant, majoris di-
gnationis viri, luctatione ab Othino, ceterisque heroibus de-
functis, honoris causa excipi tradebantur (p). Quod quidem
dogma niti videtur fama l. traditione antiquiore de luctandi

pe-

(l) Quin ipse BERCHI testis est, in *Orvari Oddi Historia* l. c. nullam
luctæ, in maris fundo institutæ, fieri mentionem, ubi tamen solenni-
us describitur nandi certamen; quorsum etiam pertinet, quod tuba
ex arce signum certaminis celebrandi spectatoribus datum narretur.

(m) In *Thiorti Vikingi hist.* C. 23. — & *Ivari Vidfadme vita* finem
versus.

(n) *Ani Bogasveigeri hist.* C. 6. & *Bodvari Bjarki*; itemque *Svipda-
gi vita*.

(o) *Eigilli Et Asmundi hist.* duobus locis; it. *hist. de Soro Roburto*.

(p) Videantur *Eddæ & Scaldi*.

peritā Othini. In *Edda* certe — si ei in re saltem verisimili
tidei quid tribuendum — Aulici Othini, Gylfone ipsum in A-
saheimia invilente, lucta se oblectasse narrantur (q). Ita etiam
in aula Geirraudi, Thorsteino *Bæarmagna* ipsum visente, ho-
spites & aulici inter pocula vites suas luctatione experti in e-
jusdem Thorsteini historia narrantur. — Atque quamvis sit
fabulis referta historia hæcce, nulli tamen dubitamus, quin li-
ceat inde, diligentis ope criticses, elicere, quo luctati sunt mo-
do Prisci nostrates. Occurrit vero ibi satis copiosa & paullo
plenior luctæ descriptio, quam itaque hic subjungi non vide-
tur alienum (r).

q) BERCH. I. c. pag. 43. Verisimile est Othinum tot artibus imbutum
(v. *Tinglinga Sag.* C. 6 & 7) ludorum quoque novullos in Scan-
dinaviam induisse.

r) *Thorsteini Bæarm. hist.* Cap. 7. p. 15 sqq., ex versione Björneri:
Dum proximo mane quisvis suum caperet gaudium, mensasque ster-
verent coqui, Geirrandus rex quæsivit, num luctæ indulgere vellent
(hvort sveinar vilja ecki glyma)? Illis proinde imperio ejus se se
submittentibus — omnes vestibus exultis in complexus avide ruc-
hant (tokust sadmbrogdum), & quidem tanto nisu, ut Thorsteinus
hanc parem se ante oculis usurpare fateretur, cum omnia iis ea-
dentibus & saltuatim collidentibus contremiscerent; inclinabatque jam
pugna in comitatum Adga Jarli, quum Frostius in pavimentum
procedens interrogaret, quis secundum congredi vellet? Fullsterko ergo
respondente: aliquem utique futurum, hi ipsi brachiis comprehensis
multipli desertare cooperunt luctatione. Eratque Frostius multo ro-
busior; ideo simul ac ad Thorsteinum adpropinquassent, Fullsterkum
ad galeam, (bringu?) suam ita allisit, ut admodum fatisceret.